

Dissertatio medica inauguralis, de typho / [David King].

Contributors

King, David.

Publication/Creation

Edinburgh : A. Neill, 1809.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gdwj924u>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

TYPHO.



Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

4

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

TYPHO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

DAVID KING,

SCOTUS,

CHIRURGUS.

“Felix qui potuit rerum cognoscere causas.”

VIRGIL.

VIII. Calendas Julias, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1809.

DISSERTATIO MEDICA

DE

TYPHO

DI

ANNO DOMINI 1811

EX AUCTORITATE RECTORIS UNIVERSITATIS

D. GEORGI BAIARDI S. T. P.

ACADEMIAE MEDICAE PARISIENSIS

PRIMUM

PRIMUM

AMICIS SENATUS ACADEMICI CONSENSU

NONnullis FACULTATIS MEDICAE PARISIENSIS

Pro Georgio Baiardi



DAVID KING

CHURCH

ST. MARK'S

Two copies of the original

manuscript

presented to the Wellcome Institute

by the Calcutta Dispensary

1811

RECEIVED

1811

VIRO EXIMIO,
PHILIPPO WHITESIDE, ARMIGERO,

CHIRURGO,

APUD AYR

ARTEM SALUTIFERAM FELICITER

EXERCENTI,

NON MINUS PERITIA,

ET

DOCTRINA,

QUAM ANIMI BENIGNITATE,

MORUMQUE COMITATE,

INSIGNI ;

QUO DUCE,

PRINCIPIA REI MEDICÆ

ADDIDICIT ;

HAS STUDIORUM PRIMITIAS,

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

D. D. C. QUE

AUCTOR.

VIRI EXIMI

PHILIPPO WHITEHEAD, ARMIGERO,

CHIRURGO,

ABUD AER

ANTEM SALUTEM FELICITER

EXERCENTIS

NON MINUS FELICITATIS

ET

DOCTRINA

QUAM ANIMI ASSIDUITATE

MOERORE COGITATE

INSIDIT

QUO DUE

PRINCIPALIA REI MUNDI

ADDEBIT

HAS STUDIOSUM TRINITATE

STIMA CONSERVANTIA

ET

AUTOR

NECNON,
VIRO SPECTATISSIMO,
THOMÆ JACKSON, A. M.

IN
ALMA ACADEMIA AERENSI
RECTORI,
NUNC
PHILOSOPHIÆ NATURALIS
IN
ACADEMIA ANDREAPOLITANA
PROFESSORI,
NULLA VIRTUTE
NON ORNATO,
OMNI LIBERALI DOCTRINA
EGREGIE EXCULTO,
PROPTER
BENEFICIA
IN EUM COLLATA,
PEREXIGUUM
HOC
ANIMI GRATISSIMI PIGNUS
OFFERT
DAVID KING.

THOMAS JACKSON, A.M.

ALMA ACADEMIA VERNENSIS

RECTORI

NUNC

PHILOSOPHICAE NATURALIS

ACADEMIA ANDREAPOLITANA

PROFESSORI

NULLA VIRTUTE

NON ORABO

OMNI LIBERALI DOCTRINA

ERRORIS REVELLO

PROPTER

INFELICIA

IN TUM COLATA

PERNICIOSUM

HOC

ANIMI GRATISSIMI PIGNUS

OFFERT

DAVID KING

INSUPER,
VIRO PROBO,
JOANNI SMITH,
ARMIGERO,
COLLEGII REGALIS CHIRURGORUM
LONDINENSIS
SOCIO,
QUI
VIGINTI AMPLIUS ANNOS
IN
INDIA ORIENTALI,
POTISSIMUM
BENGALÆ,
ARTEM MEDICAM
SUMMO CUM HONORE
FELICISSIME
EXERCUIT,
EI EJUSQUE COGNATIS
VARIIS BENEFICIIS DEVINCTUS ;
HOCCE,
QUALECUNQUE, TENTAMEN
CONSECRAT
AUCTOR.

JOHANNI SAUTER

ARMIGER

COLLEGI REGALIS CHURCHILLI

DOMINUS

SCOTI

QUI

VIGINTI ANNI

LIBRI ORIENTALI

POTISSIMUM

PERICULI

ARTIS MINDAM

SEMPER ERMONE

ITALICIS

EXERCITIIS

ELIABE SOCIETATIS

VALLIS ALCANTARA

IN

OPUSCULO

CONJECTA

AUCTOR

17

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

TYPHO.

Auctore DAVIDE KING.

PROŒMIUM.

MORBORUM omnium, qui genus humanum premunt, Typhus, jure optimo, medicinam facientis, attentionem sibi vindicat, sive impetus crebros, sive signorum vehementiam, sive exitum haud rarò funestum, spectemus.

Non solùm in regionibus diversis, verùm etiam variis cœli annique tempestatibus, nec non prout variant hominum temperamenta,

A

hicce

hicce morbus varias induit formas ; adeò ut iis, qui graviter laborant, morbi discreti esse videantur. Ex hoc planè colligitur, varietates propè innumeras esse ; ad has autem tractandas, hujusce opusculi limites, ut ne ingrediar, commonent.

Varietates, quæ in hac regione valent, exponere mihi in animo est. Sub nomine *Typhi Synochum*, *Typhum mitiorem* et *graviorem*, a celeb. CULLENO institutos, comprehendere velim.

Synochus ex aliis differt, pleno corporis habitu, quadam proclivitate, aliisque hujusmodi.

Typhus mitior et gravior gradu tantùm dissimiles.

Unde fit, ut intemperantia, corpore proclivi facto, signa cum inflammatione inducere possit, eoque synochus, primo aut secundo hebdomade, facilè dignoscitur. Necnon tempestates frigidaë, præcipuèque caloris aut frigoris vicissitudines subito illataë, quippè inflammationem quibusdam corporis partibus excitantes, ad eundem effectum perducant.

Typhus

Typhus mitior inter auctores, *febris nervosa languida* est. Ita appellatur, quia, si non omninò, saltem in systemate nervoso, maximè valere, videtur. Typhus gravior ex signorum vehementia, *maligna, putrida et petechialis* etiam vocatur; vel *febris carcerum, nosocomiorum, navium, castrorumque*, pro locis ubi maximè insævîerit.



HISTORIA.

SYNOCHUM, unam ex Typhi varietatibus, jam memoravimus, ex duabus aliis tantùm diversam, quæ species discretæ sæpè habitæ sunt, quippe symptomata catarrhi, pneumoniæ, vel utriusque simul, morbo incipiente, habet; et progressu suo, typum malignum assumit. Discrimine inter typhum mitiorem et graviolem facto, has morbi varietates distinctè exponere conabimur.

Typhus

Typhus Mitior.

TYPHUM mitiorem magna debilitas comitatur, sub noctem calore aucto; adveniente autem aurorâ remissiones fiunt; diu permanet, et signa primò tam mitia sunt, ut in progressu vix percipi queant.

Indicia prima sunt, debilitas per totum corpus diffusa, languor et lassitudo, rigores leves et subitæ caloris eruptiones; circum præcordia quædam spirandi difficultas, necnon vertigo. Lingua albida, sitis vix ulla, nausea, fastidium, nec rarò materiæ insipidæ vomitus, et urina pallida.

Sub noctem signa ingravescent. Arteriarum pulsus, ineunte morbo, aliquantulum incitantur; quædam spirandi difficultas; calor valdè augetur, delirium leve, dolore obtuso frigorisque sensu ad occiput tendente, in colli parte aversa, sæpè prægressis. Quies nocturna ægro adempta est; quanquam sæpè torpet et adstantibus somno obrutus esse videtur, ipse nihilominus vigil.

Signa

Signa paulatim graviora evadunt, et circiter septimanum aut octavum diem ex quo febris inchoaverit, vertigo, dolor, capitisque gravitas sæviùs ingravescent. Spirandi difficultas circum præcordia magis urget, et, corpore erecto, syncope invadit. Sudores frigidi in fronte et manûs parte aversa sæpè erumpunt. Lingua, præsertim in parte media, admodum arida haud rarò evadit: mentis confusio quædam et noctem delirium mussitans.

Circiter diem decimum duodecimumve, urina turbida fit, sedimentum deponens, et sudores largi, frigidi sæpè et glutinosi, necnon diarrhœa colliquativa, partibus corporis extremis erumpunt; quibus conjunctis, ægri vires, qui citò dilabitur, nunc valdè comminuuntur. Lingua tremula et difficultas deglutiendi adest. Partes extremæ frigescunt, et nonnunquam œdemate afficiuntur. Ungues pallescunt aut livescunt. Arteriarum pulsus creberrimus vaccillansque, spirandi difficultas, tendinumque subsultus. Stupore æger tenetur; auditus visusque hebescunt. Fæces et urina, ægro nescio, dejiciuntur. Mucus in ore viscidus,

viscidus, gutturi adhærens, sonum peculiarem strepentem, inter spirandum, edit. Vultus collabitur; subsidunt oculi, tremiscunt labia, trepidant manus, tendinumque subsultus superveniunt, convulsione mox in mortem exiturâ, tandem desinentes; vi morbi, dies quatuordecim, octodecim, aut viginti, vel per plures hebdomadas, sustentata.

Cùm morbus exitum felicem habiturus sit, ullâ crisi manifestâ rarò insignitur. Circiter diem decimum quartum aut decimum octavum signa paulatim mitescunt. Vultus colorem sibi proprium præstat; anxietas febrilis minuitur; sedantur ardores; sudor mitis et calidus erumpit, qui per corpus totum effunditur. Somno æger obrutus est. Lingua magis humescit. Cibi appetentia redit; urina turpida, et sedimenti copiâ.

Typhus Gravior, aut Febris Maligna vel Petechialis.

VIRIUM prostratio et animi depressio typhum graviozem comitantur. Signa etiam superveniunt,

perveniant, quæ quandam putredinem denotare habentur, præsertim in stadio morbi proVectiore.

Morbo primùm ingruente, signa propè eadem sunt ac quæ in typho mitiore existunt, aliquantulùm autem graviora. Rigores angunt magis. Calores acriores et diutiùs manent. Arteriarum pulsus duri, debiles et frequentes: adsunt lumborum dolores, et corpus maximè debilitatum est. Gravissimo capitis dolore, et quadam mentis confusione, æger afficitur. Quibusdam in exemplis, circa præcordia et supercilia, dolores acerbi sentiuntur, nonnunquam ad imum orbitarum, simulque tinnitus aurium. Carotides subsultant, et delirium grave plerumque indicant, quod accidet, licèt arteriarum ad carpum pulsus debilis parvusque sit.

Oculi tumidi et splendore orbatì apparent, pleni, graves, subflavi, cum lucis et soni intolerantia, æger quoque anxius et inquietus est.

Hæc signa sub vesperem plerumque ingravescunt, usque ad septimum aut octavum diem, quo tempore indicia omnia, viribus auctis, gravissima

vissima evadunt. Tunc debilitas augetur, et, corpore erecto, syncope supervenit. Lingua antea albida nunc nigrescit, arescit. Sitis graviter premit. Spiritus ægrè ducitur, et fiunt suspiratio singultusque. Arteriarum pulsus nunc decrescunt, pulsationes autem crebriores; delirium magis constans, verò minùs ferox. Naturam malignam præstare paulatim cœpit. Labia et dentes sorde fuscâ obducuntur. Urina nigrescit, graviterque olet. Fæces virides vel nigræ, sæpè sanguine conspersæ sunt, fœtorem nequaquam ferendum emittentes; et torminibus gravissimis æger sæpè afficitur. Cutis arida, et manu, ex ægrotantis corpore, remotâ, ardoris sensus pungens dignoscitur; die sexto usque ad undecimum, vel etiam seriùs, petechiæ, per totum corpus postea diffusæ, primo in facie et pectore sese declarant. Ægroti vires nunc citissimè dilabuntur. Fæces et urina, ægro invito, ejiciuntur. Spiritus fœdè olet. E diversis corporis partibus hæmorrhagiæ superveniunt. Sudores frigidi et viscidi corpus irrigant; nervorum subsultus, floccorum collectio, et delirium mussitans etiam ad-

sunt

sunt. Brevis rapidusque anhelitus evadit, et arteriarum pulsus sentiri nequit. Frigescunt extrema, vultus collabitur, tremores subsultusque tendinum existunt, et æger, circiter diem decimum quartum aut decimum quintum, expirat. Hæc febris, nihiloseciùs, statu mitiori, præsertim stadio provecto, signa exitum feliciorē indicantia, præstat.

Humor, primùm marginibus visus, linguæ supervenit; sitis decrescit, et saliva lenis expuitur. Urina crassior fit, et sedimentum deponere paulatim cœpit. Ægro dormituro aut experrecto, anxietas minor est, et delirium tantùm supervenit.

Petechiæ rubescunt, et gradatim evanescunt. Clarescit vultus; calescit, madescit cutis, et diaphoresis mitis supervenit.

B PRO-

PROGNOSIS.

PROGNOSIS, ex signorum quovis seorsum sumpto, minimè pendet ; verum ex symptomatibus multis conjunctis rectius judicabimus, an hæc exitum felicem vel infelicem indicant.

1. Exitum priorem hæc ostendunt. Lingua, hebdomade secundo, splendidior et humidior fit, siti, nausea vomituque sedatis : cibi appetentia simul redit ; sudor mitis, per totum corpus diffusus, ultrò erumpit : dejectio bilis modica adest, pro vectiore morbi stadio urina turbida evadens.

Si petechiæ sese ostenderunt, et si color obscurus aut fuscus sit, rubor floridus augurium faustum habendus est. Postquam dies septimus præteriêrit, supervenit delirium, leve quidem, non constans, nisi in somno, stimulis solitis remotis.

Surditatem,

Surditatem, bona indicare, medici existimârunt ; necnon, ad somnum propensitas, non autem iste torpor, a quo æger excitari non potest, inter signa salutis redeuntis jure numeranda est.

Arteriarum pulsus modicus, centum viginti haud superans, benè monet. Remissio etiam, nempè ex gradibus centum et quadraginta usque ad centum et viginti, vel centum, feliciter augurat, quippe febris diminutio clarè cernitur. Vinum etiam, vires ægrotantis reficiendo, sine ulla ventriculi irritatione, multùm proderit. Modus etiam, quo æger, primo morbi stadio, tractatus est, attentionem facientis medicinam jure vindicat : quandoquidem medicamenta benè adhibita febrem minùs vehementem reddunt ; sin autem malè, ingravescit, et multa symptomata inducuntur, quæ in pejus ruunt.

2. Hæc sunt signa infausta ; quæ, debilitatem ; quæ, depressionem aut actionem abnormem vis nervosæ ; quæ, topicam congestionem aut inflammationem ; quæ, ad putredinem propensitatem, monstrant.

(1.) Si

(1.) Si arteriarum pulsus parvus, compressione facilè impeditus; si syncope adsit, corpore erecto; si vox tremula, vi non solùm mutata, verùm etiam sono; si æger resupinus, propter debilitatem musculorum voluntarii motus, alterutri laterum sese admovere non possit; si in manu non est suâ quin in lecto dilaberetur; si extrema algescant, circuitu sanguinis diminuto; si sudores frigidi aut glutinosi adsint, superficie corporis laxatâ; si vultus pallescat et collapsus sit; si oculi splendore orbati; si vires, quibusdam retinæ partibus, perditæ sint, quo muscæ et maculæ nigræ in pariete videntur; si devorandi facultas vel partim vel penitùs deficiat, hæc quidem debilitatis jure habenda sunt.

(2.) Signa, quæ depressionem vel actionem abnormem vis nervosæ ostendunt, sunt sequentia. Delirium, vel ferox vel mite, præsertim si citò invaserit, aut diu perstiterit, stupor et torpor adsunt, tardè micant arteriæ, signis aliis haud decrescentibus: tremores, convulsiones, sermonis hæsitatio: fæces et urina, ægro invito, dejiciuntur.

(3.) Eaque

(3.) Eaque sanguinem versus quasdam corporis partes uberiùs justo ferri doceant ; hinc capitis dolor, facies rubore suffusa, oculorum rubor, vehemens carotidum pulsatio, aurium tinnitus et delirium, cum insolita vi vel copia ad caput dilatatum, demonstrant. Spirandi difficultas, pectoris dolor, et tussis pulmones ex eadem causa laborantes, testantur. Nausea, vomitus, dolor obtusus et oppressionis sensus ventriculo ; tormina ventris et diarrhœa, vitium quodvis intestinis incumbere, denotant.

(4.) Signa naturæ putridæ hæc sunt : halitus, fæcum aut urinæ fœtor, seu aliarum excretionum ; aphthæ seu petechiæ fuscae vel nigrae, et hæmorrhagiæ sese ostendentes. His adde, cutis, leviter incitata aut excoriata, in gangrænam transitura.

CAUSÆ

CAUSÆ REMOTÆ.

PRÆDISPONENTES,—ea omnia, quæ corpus debilitant et laxant complectuntur, sive in systema nervosum aut vasa sanguinem vehementia agant, illius irritabilitatem augendo, aut vim circuitûs sanguinis in hoc morbidè minuendo, quibus vires vitales tam penitùs conjunguntur. Ætas juvenilis igitur, usque ad quintum lustrum, causa, quæ corpus proclive reddit, rectè existimatur, quo tempore ætatis, homines, morbis pestiferis, valdè obnoxii. Quare hoc ita se habet, ratio reddi potest, quippe tunc temporis existit quædam irritabilitas, quæ corpus noscitur, obnoxium ad morbos cum inflammatione suscipiendos reddere.

Inter causas prædisponentes, diæta tenuis et parca maximè valere habita est. Ut solidarum

rum et fluidarum dispendium repararetur ; ut functiones, ex quibus pendent vita et sanitas, rectè peragerentur, idoneo nutrimento corpus semper eget. Hoc autem deficiente vel in quantitate vel genere, uti debet, tum deterruntur solidæ, dissipantur fluidæ ; quædam præter naturam irritabilitas systematis nervosæ supervenit, et totum corpus a causis levissimis afficitur. Deprimentes animi motus, ut mœror, timor, insomnium, labor gravis perpetuusque, lucubrationes multum productæ, et de rebus arduis versatæ, ex morbis prægressis vires exhaustæ, tempestas humida et calida, necnon cœli intemperies ; hæ omnes valdè prædisponentes jure habendæ sunt.

EXCITANTES.—Harum numerus major recensitus est quàm reverà existit. Mirum sanè foret, si tot causæ quotquot medici enumerârunt, eundem morbum gignerent ; nec ratio magis manifesta est, quare diæta minùs idonea, frigus, metus, terror, aliique animi affectus, potiùs typhum, quàm pertussim, cynanchen

nanchen malignam, variolam, rubeolam et similia inducerent, quorum uniuscujusque causa excitans, procùl dubio, naturam sibi propriam agnoscit.

Typhi materia contagiosa, plerisque concurrentibus, semper gigni de novo videtur. Hæc materia, in aëre dispersa, aut rebus variis adhærescens, corpora hominum corripit. Aër impurus, effluvia putrida, immunditia, et æther in quodam statu ignoto, hæ quidem causæ unde typhus originem ducat.

1. Aër impurus, magnâ vi hominum constipatâ, gignitur. Hinc vitio gravi aër impletur, et plerumque materiam contagiosam typhi præbere invenitur.

Historici enim, inter quos LIVIUS et PLINIUS, exempla memoriæ prodiderunt. Barbari, irruptiones in fines Romanos facientes, incolas, qui Romam confugerunt, ex agris propulerunt. Magno hominum tumultu turbante, incolisque undique collectis, locis tam angustis constipatis, febris ferox et pestifera erupit.

erupit. Si hoc ita se habeat, hominibus benè valentibus, tanto magis, ægrotantibus. Inde fit ut nosocomia, pro morborum contagiosorum receptaculis, existimata fuêre.

2. Effluvia putrida, præcipuè e cadaveribus orientia, morbos dirissimos gignerì solent. Sic GALENUS dicit, febres, ex corporibus occisorum, prælio facto, insepultis et ad tabescendum relictis, infestissimas oriri. Syracusis obsessis, in Carthageniensibus in Sicilia, hæc eadem occurrìsse narrat DIODORUS SICULUS.

Ex sepulchretis mediâ urbe, et lanienis intra muros positis, idem colligitur.

3. Hinc fit ut homines conditionis infimæ, ex immunditia, creberrimos hujusce febris impetus, subeant.

4. Quidem ætheris status, præter statum calidum et frigidum, quos inter causas prædisponentes jam posuimus, status sunt alii, qui inducere morbos maximè valent. Sic alio

C

tempore,

tempore, magis quàm alio, ex hominum memoria, morbos quosdam præ aliis occurrere, benè notum est. Hujusce status ætheris phænomena meliùs cognoscuntur, quàm causæ explicari possunt.

Quò magis igitur causæ concurrentes et plures simul conjunctæ, contagium eò magis progignitur, eòque magis gravis natura evadit, uti ex exemplis typhi nosocomiorum, carcerum, castrorumque patet.

Frigus typhi causam prædisponentem non excitantem ducere volumus. E rigoribus, qui febrem ineuntem comitantur, homines, veram morbi causam, contagium scilicet negligentes, eam a frigore oriri falsò credunt. Hoc autem contagium iterum procreari, verùm etiam fomitibus adhærescens, longè ab ejus fonte transvehi, potest, et tunc acrius factum effectus dirrissimos edit. Sæpè quoque difficile est inter typhum et catarrhum ritè dignoscere. Hinc vera ejus origo medicos haud rarò fallit.

De

De Natura Typhi Contagionis.

EFFLUVIORUM contagiosorum natura physica et chemica quibus typhus inducitur, æquè latent ac ea quibus febres intermittentes, quæ naturam sibi propriam agnoscunt, et ex multis concurrentibus, originem ducunt. Quanquam partes, ex quibus materia contagiosa constat, tam minutæ sint, ut investigationes accuratissimas hactenùs effugerint, nihilominùs non desperandum, quin chemici posthac, laboribus et indagationibus assiduis, naturam ejus veram in lucem proferre et res varias detegere unde originem ducat; necnon quomodò; successu cum feliciore, materia sic constituta dissipabitur, tandem potuerint.

Odor haud absimilis ei, qui e recente glebâ provenit, hanc materiam, præsertim si accumulata fuerit, adesse testatur.

Vel chemicè conjuncta, vel mechanicè in aëre diffusa, vel rebus adhærescens, quæ, prope

pe corpora hominum laborantium, positæ fuerunt, vel qui, effluviis contagiosis assueti, minimè efficiuntur, et sic materia, aliorum corporibus adhibita morbi causa excitans evadit. Priore in statu, ab ejus fonte haud longè distans vim exercere videtur, nec, ut perhibent medici, ultra pedes quatuor aut quinque valet. Hoc autem ex quantitate materiæ coacervatæ, cubiculorum amplitudine et ventilatione, et proclivitate quadam sæpissimè pendet.

Posteriore in statu, fomitibus adhærescens, longè a fonte transvehi potest, et vim malignam diu teneat.

Gossipio, lanæ pellibusque, quippe spongiosæ, necnon parietibus supellectilibusque facilimè adhærescit. Nec modo, quo transvehitur, tantùm variat, effectus proprii etiam, nunc alio tempore, nunc alio, diversis in exemplis, sentiuntur. Hoc autem, ex vi et proclivitate quadam, multùm pendebit.

De

*De modis quibus contagium in corpus suscipitur,
et de operandi modo.*

DE organis, quæ contagium primariò afficit, et de mutationibus quas efficit, auctores multùm discrepant. Ex aliorum sententia, pulmones materiam contagiosam absorbent: aliorum, cutis meatus; aliorum, in ventriculum cum saliva alimentoque suscipitur: aliorum denique, in sensorium primum impetum facit, quadam impressione factâ ex nervorum partibus extremis sensu valdè præditis. Sin autem, ut quidam ratiocinantur, pulmones aut cutem primùm aggrederetur, partium harum functiones primariò et graviter læderentur, quod nunquam accidit. Quorundam est sententia, in primas vias admissum esse, putantque hoc enodatè, per nauseam et anorexiam, evinci. Hoc autem argumentum aliis certè haud gravius est, quocunque enim modo materia suscipitur, absorbentia intrat; hinc in sanguinem ingeritur, et ventriculus abdominaliaque viscera, cùm maximè sentiant, ex consensu cum aliis

aliis corporis partibus, primùm afficiuntur. De operandi modo etiam inter medicos diversa obtinuerunt. Pro sedativo quibusdam videtur. Sic systematis vires, quibus nomen *vis medicatrix naturæ* medici imposuerunt, ad depellendum, excitantur. Alii, e contrà, vim stimulantem exercere, et effectus edere irritabilitatem minuendo, quidem putârunt. Ex sententia quorundam gignitur fermentatio, et status putredinem subiens, ex fœtore, petechiis vibicibusque apparet. Hoc autem jam memoratum, statum putridum haud longè abesse quin superveniat, tantùm indicat; nec, nisi in partibus quibusdam, unquam videtur, et ex debilitate oritur.

Irritabilitate systematis diminutâ, oritur fortè quædam actio, ex qua substantia contagiosa gignitur. Hæc actio in exanthematibus diversis cernitur.

Forsan ex omnibus excretionibus originem ducit. Alvi autem excretiones ad hunc effectum prodendum maximè valent: proximè post has vapores pulmonales, quibus vicissim, materia per cutis foramina emissa, succedit. Quo
magis

magis causæ concurrentes huic actioni conferunt, eò magis malignum et magis putridum et acrius evadit contagium.

De Prophylaxi.

Cùm typhi materia contagiosa, morbum, certum temporis spatium, percurrentem, gignat, remediis idoneis etiam adhibitis, ad ea quibus origo prævenire, et effectus diminui possunt, confugiendum est.

Hæc quidem præscribere, quàm in usum redigere, faciliùs est.

Origo ejus prævenire potest,

1mo, Evitando, quantum fieri potest, causas concurrentes unde originem ducat.

2do, Providendo, ne dispergeretur, postquam contagium ortum fuerit.

3tio, Præcavendo effectus ejus, ne corpus corripiant.

4to, Quàm strenuissimè extinguere conando.

Imo,

imo, Ad causas concurrentes prævenien-
dum, quæ inducere contagium febrile agnos-
cuntur, in manu semper non est; attamen
quantùm fieri potest, ope summâ niti debe-
mus. In eis locis, in quibus magna vis homi-
num constipatur, novus aër sæpè immittendus
est. Ostia et fenestras patefacere pernecessa-
rium et aëri aditum liberum præbere oportet.
Quò frequentiores homines, eò diligentius cu-
ra adhibenda. Omnia sensui nociva, quodam
spatio interjecto, præsertim in oppidis populo
frequentibus, amovenda sunt, lanienæ scilicet,
sepulchreta, et sterquilinia.

2do, Providendo, ne dispergeretur, post-
quam contagium ortum fuerit. Vis materiæ
contagiosæ, ut jam memoravimus, finibus an-
gustis contineri videtur, et condensata effectus
sibi proprios tum tantùm valebat. Unde ne-
cessarium fit, circuitu aëris puri atmosphæri-
ci, effluvia ægro incumbencia, quantùm fieri
potest, diluere. Hic aër ægrotantem refrige-
rat, valdè delectat, et in sanitatem restituere,
signis gravioribus occurrendo, petechiis scili-
cet et sudoribus colliquativis, multùm confert.

Sani

Sani ab ægris, quantum fieri potest, sejungendi sunt. Nemo, nisi quod ex necessario fit, ægroto assidere debet. Corpus et stragula, quæ materiam contagiosam faciliè suscipiunt, munda servanda sunt.

Ægri quidem corpus plerumque mundum efficitur ex medendi ratione, affusionibus nempe lavationibusque. Linthea ad cutem adhibenda; lana gossipiumque fugienda. In cubiculo parum supellectilis, præsertim ligneorum instrumentorum: hinc lectorum fulcra ferrea jure laudantur.

Excretiones quàm citissimè amoveantur. Quum stragula mutare necesse sit, in aqua frigida, aut in fluento potiùs immergere oportet, quippè vapores, ex aqua calida orientes iis qui abluendo versantur, effectus dirissimos sæpè ediderunt. Ægro subjicere pannum oleo oblitum, quo lectum purum conservatur, et ad materiam contagiosam suscipiendum minùs idoneum, operæ pretium erit. Corpus exanime panno piceo, transversim arcam, involvendum est. Cùm effertur, si hominum humeri

D

arcæ

arcæ subjiciantur, fulcientes periculi aliquantum adeunt.

Sepulchra præter solitum profunda, et alia ex aliis aliquatenus distantia, esse oportet ; et diu intercederet priusquam refoderentur.

Ægro in sanitatem restituto, esse unà cum sanis minùs idoneum erit, nisi aliquantum temporis intercesserit, ex quo ab ægritudine recreatus fuerit. Præcipuè lotiones copiosas subiere, et vestibus prorsùs novis indui debet. Cubiculi parietes calce dealbandi. Instrumenta varia benè diuque abstergenda et ventilanda, priusquam sani illis uterentur.

3tiò, Cùm autem, hæc observare nobis facultas haud semper sit, quandoquidem, sanos ab integris sejungere fieri nequit ; ut ii qui ægris assideant sese faciliùs tuerentur, ad rationes cautionis varias medici confugerunt, et alexipharmaca semper laudata sunt. Ut corpus ad contagium minùs proclive fiat, ea necessaria esse videntur, quæ debilitatem et irritabilitatem comminuunt. Evitando igitur, quantum fieri potest, causas prædisponentes, diætam

diætam generis quàm optimi e vegetabilibus et carnibus constantem, sumere oportet. Vinum modicè sumptum, cortex Peruvianus, aromata, balneum frigidum, ex vi tonica, et balneum calidum, quia vim eluendi, perspirationemque promovendi habet, hæc omnia laudibus summis efferuntur. Prætereà multùm juvabit, si animus lætus vacuusque timore sit; quandoquidem metus et desperatio corpus ad contagium suscipiendum maximè proclive reddunt. Sub dio exercitatio modica, et cautio debita sit, ne functiones corporis turbarentur.

Monendum quoque est, ut hi, qui ægris assideant, haud prope ad eos accidant, cùm contagium vim pestiferam haud latè diffundat. Corpus quoque ægri subindè abluendum est, et stragula sæpiùs mutanda. Cavendum etiam ne aura ex ægro dimanans adstantes afflaverit, qui, facie ex ægro aversâ, salivam assiduè expuere debent. Prætereà, omnis consuetudo cum ægro, quantùm fieri potest, evitanda est: nec medici ægrum manè adire debeant, cùm materia contagiosa tunc vim acriorem possideat.

deat. Absorbentia quoque manè maximè valent, et corpus causis nocivis magis patet.

4tò, De modis quibus contagium corrigatur, proximè dicendum est.

Hoc consilio varia admodum proposita fuère, quorum multa, satis inepta, nullam fidem merentur. Hic tantùm perpenda sunt ea, quæ usus maximè comprobavit. Diu invaluit opinio, ea ad foetorem cubiculorum corrigendum aptissima, hujusmodi viribus maximè pollere. Hinc camphora, myrrha, lignum cedrinum, diu laudata fuère. Cùm autem benè notum est, contagium vim nocivam haud deposuisse, etiamsi odor foetidus penitus evanuit, cavendum est, ne, dum tempus talibus malè conterimus, idoneus aëris perflatus, cujus vires potentissimæ sunt, perperam negligatur. Carbonis ligni ustio, et pulveres fulminantes etiam, multùm semel commendata fuère.

Hæ autem methodi aliquatenus tantùm adsciscendæ sunt, in rebus nempè expurgandis,
quæ

quæ fonti contagii adstitirint. Hinc aërem cubiculorum, quibus ægrotantes lecto affixi, purum reddere, valdè conferunt. Pulveres fulminantes præcipuè, quippe acidum sulphuricum expedientes, et aërem rariorem reddentes, labem omnem delendo admodum utiles. Aceti fumigationes etiam, effectus bonos nonnunquam præstant, quia vim materiæ contagiosæ comminuunt, necnon quia et ægrotantibus et assidentibus placent. Hoc remedium certè aliquantùm juvabit, sed vim ad materiam extinguendam medici plerumque abnuerunt.

Annis nuperis, vapores acidi, naturâ acerri-
mi, quibus nomen splendidum specificorum
olim impositum erat, de fumigationibus acidi
muriatici et nitrosi dicere volo.

Dom. MORVEAU Lugduni, fumigationibus
acidi muriatici primùm usus est, ad corrigen-
dum putridum fœtorem et aërem pestiferum
ædificii in quo plurima cadavera sepulta erant.
Hoc duodecim horarum spatium peragi compe-
rit, fenestris et ostiis occlusis expeditisque fu-
mis

mis e novem unciis muriatis sodæ in pulverem redacti, et in crucibulum immissi, cui acidum sulphuricum affusum erat.

Priusquam ædem ingressus est, fenestræ et ostia aperiebantur, et liber aëri aditus præbatur. Hoc gas autem tali copiâ expeditum, tantum in rebus inanimatis, et desertis locis purgandis, adhibere potuit.

Dom. FOURCROY, viribus acidi oxy-muriatici in fœtore putrido delendo probè perspectis, id primùm contra contagium in auxilium attulit.

Dr ROLLO idem quoque laudibus effert, et in nosocomiis purgandis eo sæpè usus est.

Usus vaporum acidi nitrosi plurimùm invaluit, quod a Doctore CARMICHAELE SMYTH accessum referre debemus. Hæc forsàn omnia, aërem diluendo, bonos effectus præstant.

Cùm autem acidum oxy-muriaticum materiam animale[m] facilè resolvat, vim venenatam hujusce materiæ putridæ forsàn penitùs destruit. Hoc autem commodi habet acidum

nitrosum,

nitrosum, quod parum molestiæ ægro facessit, res haud parvi momenti. Contrà, vapores muriaticos et oxy-muriaticos, ægri haud impunè ferunt. Omnia ad liberum aëris perflatum conducunt. Si alias vires possideant, hæ in ægrum ipsum corpus vel stragula exeri nequaquam possunt.

MEDENDI

MEDENDI RATIO.

Duo sunt consilia medendi, quibus maximè insistere debemus ; nempè præcidere febrem, et signis molestioribus occurrere.

Breve transit tempus per quod, primum consilium absolvendi, nobis erit facultas : ad hoc tantùm valemus, morbo ineunte, cùm exacerbationes leves, febrem haud ritè adhuc constitutam, ostendunt, quod plerumque, a morbi initio usque ad diem septimum aut octavum, spatium comprehendit. Hoc autem tempore exacto, ut systematis actio nimis vehemens inhibeat, vel si hæc justo debilior fuerit, vires languescens suscitare, summis viribus contendere debemus.

Ad primum consilium absolvendum, affusio aquæ frigidæ, emetica et cathartica maximè in usu sunt. Inter hæc autem affusio frigida, ut mihi videtur, primas meritò obtinet, et hanc

in

in sententiam ire magis propendet animus, cum a Clar. HOME, ægris in nosocomio decumbentibus, eam felicissimè adhibitam vidi.

Affusiones aquæ frigidæ vel tepidæ adhibere licet : illa magis præpollet ; ad hanc tantum confugiendum est, cum, ex signis, illâ uti nobis haud permissum sit.

Doctori WRIGHT hujus loci, qui hanc ad rem animum primùm advertebat, præcipuè Doctori CURRIE nuper defuncto, qui effectus ejus feliciter illustravit, affusionem acceptam referre debemus.

Aquæ frigidæ affusione uti licet, si æger præter naturam calidus sit, si alboris aut sudationis sensus nullus est, si signa catarrhi absint, et si nulla trium magnarum corporis cavitarum inflammatione corripiatur. Quò promptiùs adhibetur febrem præcidere, eò magis sperandum. Si cutis calida vel arida, si lingua in statu eodem sese habeat, siti necnon inquietudine prementibus ; si, inquam, aquæ frigidæ affusio tum adhibeatur, febrem compescere sæpissimè invenitur. Dr CURRIE, die tertio ex quo febris inchoaverit, se hoc plerumque

E

peregisse,

peregisse, memorat, aliquando autem seriùs adhibita eundem effectum edit.

Si febris cursum sistere nequeat, saltem minùs sævire facit. Arteriarum pulsus celeritatem morbidam languidiorem efficit, cutem laxat, sitis sensum ingratum sublevat, nauseam sedat, somnum inducit, et ægrum gratissimè plerumque afficit, contagium minùs periculosum, et petechiæ rarò superveniunt.

Ad consilium secundum absolvendum igitur, symptomata sublevandi, haud parùm confert; memoratu autem dignum est, febre magis provectâ, temperiem affusionis esse adaugendam, et die octavo aut nono elapso, in hac medendi ratione perstare plerumque minùs idoneum erit.

Ad cursum febris sistendum, affusiones frigidæ, ac calidæ haud æquè valent. Hiemibus autem asperioribus hanc ad rationem, nempè affusiones calidas, confugere liceat, præsertim si catarrhi symptomata febres comitentur. Calorem etiam valdè comminuunt, sitim sublevant, et ad somnum magis conferunt.

Corporis

Corporis lavationes calidæ circiter 90°, aut pediluvium ritè adhibita, quanquam ac rationes illæ suprà dictæ haud æquè valent, ad multa symptomata graviora diminuenda, calorem nempè, sitim, doloremque capitis, proculdubio haud parùm conferunt.

Rationibus medendi suprà dictis etiam præpollent, etenim in febribus, quibus pneumonia et catarrhus adsunt, illis uti licet. Lavatio calida ad corpus expurgandum saltem magis valet.

Febrem præcidendi, secunda ratio est, quam suprà notavimus, quòd emeticis utamur. Hæc, quanquam effectus tam bonos quàm affusiones haud præstant, sæpè necessaria sunt, cùm illis uti non tam idoneum fuerit. Ad effectum autem ritè prodendum, promptè ea adhibere oportet; etenim, die primo aut secundo præterito, febris cursum cohibere rarò possunt.

Quædam signa graviora autem sæpè sublevant. Si ventriculus materiâ crudâ onustus fuerit, quod ex nausea, vomitu ingratoque oris sapore clarè cernitur; si lingua fœda, circum præcordia

præcordia oppressio, et si cutis arida aut calida sit; tum emetica adhibere utile fuerit.

Cùm magna debilitas aut virium prostratio adsit, cùm vomitus, ex statu ventriculi admodum irritabili, vehementer urget, vel gravis alvi fluxus ex simile intestinorum vitio superveniat, haud adhibenda sunt.

Nec magis conveniunt, si ex effusione in cerebrum facta, stupor accedat; vel facies rubore suffusa, oculi rubri, delirium ex inflammatione cerebri adfuerint: tussis quoque, dolor et dyspnœa, eorum usum prohibent; vel saltem non nisi vena priùs incisa fuerit.

Purgantia, ut suprà dictum est, consilio febrem tollendi, haud rarò in usum revocata fuêre. His autem, hoc consilio, parùm fidentum est. In signis attamen quibusdam levandis, jure laudantur.

Plenus corporis habitus, pulsus validus et durus, vel sanguis in quædam viscera, præsertim abdominis, graviùs irrumpens, cujus diarrhœa biliosa indicium est, eorum usum strenuè postulant.

Cùm

Cùm fæces nigræ et fœtidæ, vel alvus astricta, vel diarrhœa, ex materia acri retenta, concitata fuerit, commodè adhibentur. Bonos quoque effectus præstant, cùm affusio frigida minùs idonea est, et unà cum ablutione tepida adhibita, febrem ad exitum felicem perducunt: semper quoque ad cathartica confugiendum est, si evacuationes ab initio morbi neglectæ fuêre. Hoc modo adhibita, somnum sæpè conciliant, gravem anxietatem circa præcordia tollunt, vires reficiunt, bonos vini effectus adaugent, et diarrhœam colliquativam circa finem morbi orituram arcent, quæ aliter superveniens, omnibus ad eam cohibendam frustrà adhibitis, ægrum e medio tollit. Omni igitur morbi tempore adhiberi possunt, nisi debilitas insignis eorum usum vetat.

Secundum medendi consilium signis molestioribus levandis absolvendum est.

Nunc igitur perpendenda sunt remedia huic fini accommodata.

Opium postulant, delirium, diarrhœa, insomnia, subsultusque tendinum.

Imo,

1mo, In delirio autem, primis morbi diebus excitato, quod faciei oculorumque rubor et lucis intolerantia comitantur, opium minimè convenit; tunc enim adhibitum, morbum planè adaugeret. Nec magis idoneum est in eo delirio cui gravis accedat stupor, ex quo æger haud excitari potest.

In ea autem delirii specie, versus finem morbi, superveniente, quæ ægrum in somnum proclivem, vel ex eo recens expergefactum adoritur, opium laudes summas meretur.

2do, Ex tribus præsertim causis, diarrhœa proveniat, nimirum, ex aucta copia bilis, ex fæcibus acribus, debitis evacuationibus morbi initio neglectis, aut ex insolita intestinorum irritabilitate et laxitate. In duobus prioribus exemplis, cathartica, in posteriore opium, optimè convenit. Hoc consilio per os assumi potest, vel infrà, sub forma enematis injiciatur, maximè si tenesmus diarrhœam comitans id postulet.

3tio, Die febris nono aut decimo, opium dosi amplâ adhibitum, ad somnum conciliandum;

dum, et irritationem generis nervosi consopindam, remedium utilissimum est.

4to, In tendinum subsultu, qui sub morbi finem supervenit, multùm commendatum fuit, et tum dosibus exiguis crebrò iteratis sumendum.

Cùm, vel naturæ conatibus vel remedium ope, cutis mollescat humescatque, et si ad sudationem proclivitas adsit, opium antimonio conjunctum sub forma haustûs antimoniales, vel si tussis superveniat, sub forma pectorici elixir, istum sudorem calidum, mittent, corpus ægri refrigerantem, et febris crisisin sæpè constituentem, inducere multùm adjuvat.

Vinum.—Typhi stadio secundo, ad vires ægri sustentendas, ad somnum conciliandum, ad sitim sedandam, ad putridam proclivitatem arcendam, ad tremores tendinumque subsultus levandos, remedium nullum vino præstantius. Ægro vinum desiderante, plerumque et idoneum et consentaneum esse invenitur. Haustibus parvis dandum, ut unciis sex in die benè dilutis, et copià gradatim adaugenda est.

Cinchona

Cinchona officinalis.—Proclivitatem putridam levando, vires reficiendo, et ægro in sanitatem restituto, præcavendo ne relaberetur, cinchona officinalis remedium utile est. Sæpè quidem adhibenda, cùm vini sapor ingratus sit: decoctum ejus unà cum acido sulphurico, vel paucis drachmis tincturæ ei conjunctis, tunc temporis plerumque præbetur.

Venæsectio rarò necessaria, et tantùm in stadio primo, siquidem uberior impetus sanguinis in organum quodvis vitæ necessarium, vel ejus inflammatio adsit. Sanguinis detractio topica, et emplastra e cantharidibus, in his signis tollendis, generali sanguinis missioni anteponenda sunt.

Refrigerantia.—Sub his diluentia et acidos potus, haustus effervescentes, misturam salinam, nitrum quoque, et quædam alia refrigerantia neutralia, comprehendere velim. Diluentia et acidi potus sitim explent, ea, quibus intestina implentur, minùs acria reddunt, et variis excretionibus, et, hoc modo, processui refrigeranti cutaneo favent.

Haustus

Hhaustus effervescentes insuper nauseam vomitumque mitigant. Mistura salina sitim compescit, ad superficiem determinat, et perspirationem promovere valet; eòque magis, si, cute humidâ, proclivitas naturalis huic excretioni adsit. Nitrum, et quædam alia neutralia, vim quandam ventriculo exercere videntur.

Cùm signa salutis redeuntis appareant, jusculum e carne bovilla excoctum, aut panadæ copiam majorem præbere liceat.


His omnibus adjiciatur regimen frigidum, præcipuè liber aëris aditus, fenestris et ostiis patefactis, aulæisque summotis. His neglectis, omnia alia remedia parùm proderunt.

F I N I S.

Flavitas effrutescentes insuper paucum
mitiusque nigrant. Mista salina sitim com-
pescit, ad superficialiorem determinat, et perspira-
tione in promovendo valet; eoque magis si cute
humida, proclivitas naturalis hinc excretioni
adit. Nitrum, et quaedam alia neutralia, vim
pandam ventriculo exercere videntur.

Cum signa salutis rediens appareant, jus-
culum e carne bovile excoctum, aut panada
copiam majorem præbere licet.

His omnibus adjicitur regimen frigidum.
piscipus liber ætate adit, tæstis et oculis
patefactis, autemque summis. His neglec-
tis, omnia alia remedia parum proderunt.



THE NEW YORK MEDICAL

DISSERTATION

ON THE NATURE AND TREATMENT OF THE

SCURVY

BY J. C. GALT

M.D.

NEW YORK: PUBLISHED BY J. C. GALT, 1845.

— 1845 —

Printed by J. C. GALT, 1845.

— 1845 —

1845

EDINBURGH

AND LONDON

Printed by J. C. GALT, 1845.

— 1845 —